

## DE OFFICIO PRAEFECTI AUGUSTALIS.

### 1.37.1

*Imppp. Valentinianus Theodosius et Arcadius AAA. Florentio praefecto Augustali.*

Omnia tributa per Aegyptiacam dioecesin cura et providentia claritatis tuae a moderatoribus provinciarum exigi iubemus. si qui tamen ex possessoribus sive militaribus sive non militaribus ad inferenda quae debent audaces extiterint, eos per militare etiam auxilium, si opus exegerit, ad solutionem compelli censemus.

*D. XIII k. Mart. Constantinopoli Honorio np. et Euodio consss.*

[a. 386]

### 1.37.2

*Imppp. Theodosius Arcadius et Honorius AAA. Rufino pp.*

Praefectus Augustalis ordinariorum sub se iudicium examinandi flagitia et super his referendi, non amovendi vel puniendi habeat potestatem.

*D. prid. non. Dec. Constantinopoli Olybrio et Probino consss.*

[a. 395]

## DE OFFICIO VICARII.

### 1.38.1

*Imppp. Valens Gratianus et Valentinianus AAA. Antonio pp.*

In civilibus causis vicarios comitibus militum convenit anteferri, in militaribus negotiis comites vicariis anteponi, quotiensque societas in iudicando contigerit, priore loco vicarius ponderetur, comes adjunctus accedat: si quidem cum praefectureae meritum ceteris dignitatibus antestet, vicaria dignitas ipso nomine eius se trahere indicet portionem et sacrae cognitionis habeat potestatem et iudicationis nostrae soleat repraesentare reverentiam.

*D. VIII id. Ian. Gratiano A. IIII et Merobaude consss.*

[a. 371]

### 1.38.2

*Idem AAA. ad Hesperium pp.*

Relationes vicariorum, si quando usus attulent, ad nostram mansuetudinem referantur, relationes enim iudicium libenter audimus, ne administratorum decrescere videatur auctoritas, si eorum consulta veluti profanorum preces a nostris adytis repellamus.

*D. XII k. Febr. Gratiano A. IIII et Merobaude consss.*

[a. 377]